

bulnis erant, qui sex in unaquaque Legione inveniebantur; Tribuni Legatis, Legati Consuli, obtemperabant.

Romanæ Legiones, ut in inscriptione apud Capitolium Romanum etiamnum visitur, trigintaduæ erant, & diversimode vocabantur. Scilicet vel a numero, & ordine, uti prima, secunda, tertia, decima, vicesima: Vel ab Imperatorum nominibus, uti augusta, claudiana, galliena, flavia, ulpia, trajana, &c.: Vel a provinciis in bello victis, uti persica, scythica, gallica, arabica, macedonica, hispanica &c.: Vel a locis, in quibus primum fuerant institutæ, veluti italica, cirenica &c.: Vel a nominibus Deorum, quibus Imperatores peculiari cultu addicti erant, ut minervia, apollinaris &c.: Vel denique ab aliis eventibus, in exercitu, in urbe, in militibus, vel alibi, observatis; uti gemina, adjutrix, martia, victrix, ferrata, fulminatrix &c. Verum tamen est, hujuscemodi ordines, nomina, aliaque non semper in usu fuisse; sed ad reipublicæ nutum omnia, & præcipue pro Imperatorum libito, ut plurimum variabantur; ut est facile observare apud Polybium, Vegetium, Panvinium, Sigonium, Rosinum, Lypsiū, aliosque. Romana Legio, quæ ad Syriam, vel ad Judæam, mittebatur, ferrata, vel ferrata, vel ferrea, aut etiam italica, dicebatur, & sexta erat in ordine; uti scribunt Baronius, & Cornelius a Lapide super Apostol. Act. c. 10.

Milites hosce, qui sub Pilato erant, Brutios fuisse, fidenter scribit Alphonsus Salmeron, tom. 10. histor. euangelicæ tract. 29. ad tertium fol. 246. *Ex quibus non improbabiler elicimus, Brutios milites ministros fuisse Pilati, qui Dominum flagellarunt, & forte etiam in crucem adegerunt. Sunt autem Brutiani, vel Bru-*